

**P**HILIPPUS Dei gratiâ Francorum Rex, Universis & singulis Baronibus, & quibuscumque Nobilibus regni nostri, nec non Viromandensi, Ambianensi, Turonensi Ballivis, & omnibus Senescallis, Ballivis, & aliis quibuscumque Justiciariis regni ejusdem, ad quos presentes littere pervenerint, Salutem. Periculis & incommodis que ex Torneamentis, congregationibus armatorum, & armorum portationibus, in universis regni nostri partibus haec tenus provenisse noscuntur obviare voluntates, ac super hoc pro futuro tempore, prout ex officiis nostri debito tenemur salubriter providere, vobis & cuilibet vestrum, sub fide quam nobis tenemini, & sub omni penâ quam vobis infligere possumus, precipimus & mandamus quatenus congregationes armatorum, & armorum portationes facere, vel ad Torneamenta, quas & que presentibus prohibemus, sub penâ predictâ, ullenius de cetero presumatis, nec in contrarium fieri permittatis a quoquam, Vosque Senescalli, Ballivi, & Justiciarii nostri predicti in assisi & alius in locis vestris, ac ressortis eorum faciatis celeriter publicari, contrarium attemptantes capiatis cum eorum familiis, equis, armis & harnesii, nec non terris & hereditatibus eorumdem, quas terras & hereditates cum aliis eorum quibuscumque bonis, teneatis, & explectatis, sine omni deliberatione, vel recrederi faciendâ de his, sine nostro speciali mandato. Premissam verò Torneamento rum prohibitionem durare volumus quamdiu duntaxat nostre placuerit voluntati. Et omnibus subditis nostris, sub fide quam nobis astricti tenentur, Torneamenta hujusmodi prohibemus. Datum Pissiaci penultimâ die Decembris, anno Domini millesimo trecentesimo decimo primo.

1311 : ordonnance par laquelle le roi défend le tournoi et le port d'armes  
(ordonnances des rois de France, 1723 p. 493)